

ista signatio materiae vel est ipsa quantitas jam in materia recepta, ut dicebat veteres Thomistae, vel saltē ordo materiae ad quantitatem recipiendam, vel principium, ut dixerunt alii Recentiores post Cajet. sed quicquid dicatur, semper idem incurritur absurdum, quod individuum substantiae intrinsecē constituitur in tali esse per accidens; parum enim refert, quod tale accidens sit respectivum, vel absolutum, imo magis absurdum est concedere illud respectivum, quam absolutum, quia accidens absolutum licet in ratione accidentis opponatur substantiae, tamen cum ea convenit in ratione absoluti, at relatio in utraque ratione opponitur cum ea. Quod si dicatur talem ordinem materiae ad quantitatem non esse praedicamentalem, sed transcendentalem, & materiam realiter identificatam. Hoc nuper impugnatum est, quia materia esse potest sine tali signatione, & ordine; ergo non est transcendentalis, sed praedicamentalis, tum quia si est transcendentalis, & pertinet ad esse substantiae materiae, omnes materiae habebunt eandem signationem, cum omnes sint ejusdem speciei; vel si spectat ad esse individuae materiae, cum haec individua materia possit eadem numero reperiri sub diversis formis, & in pluribus compositis, non poterit ita signare materiam, ut sit principium individuationis. Conf. per rationem Scoti contra Egidium 2. d. 3. q. 4. nam si ista signatio in materia habeatur per quantitatem, sive per praevisas dispositiones, semper erit quantitate posterior, atque ideo sic quantitas inaptā est ad individuandam substantiam ratione talis posterioritatis; ut supra probatum est. 5. quia prius unius praedicamenti non individuatur per posterius alterius praedicamenti licet etiam illi signatio a quantitate dependens. Dices istam signationem non peti a quantitate actuali, & existente, talis enim signatio utique efficitur posterior materiae, & composita, sicut & ipsa actualis quantitas, sed peti a quantitate possibili, quo pacto potest in materia praecedere substantiam compositam. Contra, quia sicut quantitas actualis, & existens est posterior materiae, vel composito existentibus, ita quantitas possibilis est posterior materiae, sicut composita possibilis, nam semper eadem proportio prioritatis, & posterioritatis servari debet tam in esse existentiae, quam in esse possibili, quia non datur possibilitas rei, nisi in ordine ad existentiam, nec res est possibilis nisi eo modo, quo potest existere. Tum quia, sicut materia, & compositum in esse existentiae non dependet a quantitate, & ceteris accidentibus simpliciter, sed totum secundum quid, unde absolute, & per divinam potentiam potest conservari substantia sine quocunque accidente, ita quocumque possibilitas substantiae etiam in individuo non dependet a possibilitate accidentis, unde impossibile forent accidentia omnia, adhuc possibilis foret quaecumque substantia, tam simplex, quam composita; ergo nec ad existentiam, nec ad possibilitatem substantiae etiam in individuo exigitur signatio aliqua ab accidentibus emendata; sive dicatur peti ab illis actu existentibus, sive possibilibus. Demum secundum Thomistam proprium subjectum accidentium non est materia, sed compositum; ergo nequit ab illis ullam signationem recipere, cum ea accidentia immediate in se recipere nequeat. Consequentia patet, quia signillum signationem relinquere nequit in subjecto, cui immediate imprimi non potest, & haec sola ratio sufficit ad eos convincendos in suis principis.

Occurritur obiectis.

94 In oppositum insunt Thomistae passim, illud est principium individuationis, cui per se primo repugnat communicari pluribus eo modo, quo universalis communicatur inferioribus; sed materia signata est huiusmodi, quia ita est propria unius, ut licet absolute loquendo possit esse alterius, non tamen cum ista signatione, ergo &c. Major patet, probatur minor, nam ex 2. de Anima 41. omnium natura constantium determinata est ratio magnitudinis, & augmenti. Tum 2. repugnat materiam signatam concipi ut universalem; ergo est per se primo singularis, & consequenter est principium individuationis. Tum 3. illud est principium individuationis, quo postea aliquid sublati ponitur individuum, & quo sublati alius postea non ponitur, sed materia signata est huiusmodi, ergo &c. Major patet, probatur minor, nam si a materiali individuo praeter materiam signatam quocunque aliud removetur, adhuc incommunicabilis substantia remanebit, non autem si auferatur materia signata. Tum demum, quia in substantia composita assignari debet aliquid quod sit radix, vel principium individuationis, & in ea non reperitur nisi materia, & forma, talis radix nequit poni forma, quae de se communicabilis est neque materia nude sumpta, quia ut sic potest succedere in pluribus individuis reperiri, ergo &c.

Resp. multipliciter ad hanc rationem, quam Thomistae iactant ut demonstrationem, primo negando min. quia ut constat ex dictis n. 83. materia etiam cum eadem signatione potest esse successiva sub diversis formis ac plura individua constitutere (saltem numero diversa), quamvis enim diceretur individua speciei diversae diversam signationem in sua materia requirere, nulla tamen cogit ratio, ut id etiam asseri debeat de individuis homogeneis, & ejusdem speciei, ut de duabus aequae portionibus, nec ad rem facit auctoritas illa ex 2. de Anima, solum enim ibi docere voluit Arist. ventia determinare sibi certam mensuram, & magnitudinem quantitatis, quam non possint excedere, & quidem toti speciei debitam, non soli individuo. Deinde si hoc argumentum valeat, possit quoque probari ipsam naturam communem, ut v. g. hu-

manitatem in Petro, quatenus est signata, & sigillata per Petreum, quae est individualis differentia, esse principium individuationis, quia sub tali signatione ita est propria Petri, ut alterius esse nequeat; & tamen sic arguere non valet, quia per signationem, & contractionem factam per Petreum tamen, non appropriatur Petro, nisi extrinsecē, intrinsecē autem, & essentialiter remanet communis pluribus; sic patet in proposito etiam concederetur materiam sub ista signatione ita esse propriam unius, ut nequeat esse alterius, quia tamen hoc sibi extrinsecē convenit, non autem ex ratione sua intrinsecē colligi nequit ipsam esse per se proprio huiusmodi individui, ut non sit alterius, sed tantum ex consuetudine signationis, & sic signatio ipsa efficitur vera individuationis principium, non autem materia signata. Itaque ad argumentum negandum est, absolute materiam signatam esse per se proprio huiusmodi individui, ut non sit alterius, ut quod, & de ea adhuc quaerendum restat, quo fit incommunicabilis facta, & individua; tum quia alia sunt individua, & singularia, quae materiam non habent, ut patet de Angelis, accidentibus, & formis simplicibus; tum quia esse hoc compositum exigit hanc materiam, quia compositum singulare non nisi ex principiis singularibus componitur, adhuc tamen certum est ipsum non esse primo hoc per materiam, sed sua differentia individuali; unde ad summam eae ratio probat, quod haec materia habet suam singularitatem non aequalē sed sibi internam, & quod ipsa est principium physicum individui compositi, non vero individuationis eius.

95 Ad 2. negatur consequentia, nam Petrum quoque repugnat concipi ut universalem, & pluribus communicabilem, nec tamen huic interit esse per se primo singulari, & principium individuationis, sed tantum esse singulare, ut quod, & ipsum individuum; unde non quod est singulare, ut quod, sed tantum quod est singulare, ut quod, est principium individuationis; ex illo autem antecedenti solum deduci potest materiam signatam esse singularem, ut quod. Ad 3. etiam si haec forma ab hoc composito removeatur, non amplius subsistit illa substantia incommunicabilis, non quia eius incommunicabilitas ab hac forma attenditur, ut a principio eius formalis, vel radicali proximo, sed quia haec forma est principium physicum huius compositi, & ablati una parte compositi, opus est totum compositum dissolvi, eodem igitur modo verificatur, quod ablati materia signata non amplius erit subsistens illa composita incommunicabilis, unde ratio identidem probat materiam signatam esse principium physicum substantiae compositae individuae, non vero individuationis eius. Ad ultimum concedo in unaquaque re assignari debere radicem, vel principium, quod materiae non tamen realiter distinctum a re individua, & ideo nec forma, nec materia etiam signata bene statuitur principium individuationis eius, unde ratio illa nil aliud ad summam probat, nisi quod materia cum forma sit physica principia rei compositae individuae, non tamen quod substantia composita sit primo haec per materiam signatam, nam sicut substantia composita dicitur entitatem realiter distinctam a materia, & forma, taltem sigillatim sumpta, ita quoque habet suum intrinsecum principium individuationis diveritum a principio individuationis materiae, & formae.

Deinde arguit Blaius a conceptione disput. 3. Metaph. qua sita. illud, per quod radicaliter constituitur substantia prima in ratione substantiae primae, est radix individuationis, sed substantia prima constituitur radicaliter in ratione substantiae primae per materiam primam, ut quantitate signatam, ergo &c. Probat minorem, quia substantia prima dicitur autem, quae nec est in subjecto, nec dicitur de subjecto, hoc autem per se primo convenit materiae signatae, quia ut talis nec potest esse in subjecto, neque dici de subjecto; licet enim considerata secundum se praecise, & ut habet indifferentiam elidendi in pluribus compositis, possit de hac, & illa materia praedicari, tamen ut signata nequit de alia praedicari. Respond. negando minorem, quandoquidem etiam Michael est prima substantia, & dicitur in praedicatione posita, & tamen materia signata non habet, ad praedicationem verum est in substantia materiali prius convenire materiae signatae, & singulari nec esse in subjecto, nec dici de subjecto, non quia sit principium individuationis, sed quia ipsa quoque esse quaedam prima substantia incompleta, quae concurrat physice ad constitutionem substantiae compositae completae; & valde hallucinatur hic Auctor, dum putat materiam posse de hac, & illa materia praedicari, quae est indifferens, ut esse possit sub hac, illa forma, in hoc & illo composito, non enim haec indifferencia est, quae ipsam constituit universalem, & de pluribus praedicabilem, quandoquidem haec est indifferencia physica, quae ipsi competit etiam individuae, ex eo enim quod est, commune subjectum omnium transmutatum omnium habet, ut una numero possit successive reperiri in pluribus compositis, sed est indifferencia metaphysica, quae sibi convenit, ut abstrahat a quocunque haec exeat in suo ordine, nam in tali flatu est proxime indifferens, ut possit ab hac, & illa haec exeat contrahi, & de hac, & illa materia praedicari; alia argumenta Thomistarum soluta sunt art. praeced.

QUESTIO VII.

De forma per se sumpta, vel saltem cum materia, sit principium individuationis.

96 Inter Philosophos Averroistas frequens est ac fatis recepta opinio forma absolute sumpta esse individuationis principium in rebus materialibus, ita enim sensibile videtur Averroes pluribus in locis, & praesertim 3. Phys. Com. 60. & lib. 4. com. 38. & 1. de Anim. com. 7. & 2. lib. com. 2. Plur. Com. Commentator in 2. artis parv. Galen. librum ab Achilli. lib. 1. de elementis, Gandoven. de substantia Orbis qu. 7. Bacon. 3. sent. dist. 11. quae. 2. artic. 2. & alii nonnulli Averroistae, qui dicunt solam formam esse per se individuationis principium, materiam vero non nisi per accidens, quatenus est subiectum formae, quae per se individuationis causa est. Alii vero conjungunt formam cum materia, itaque utraque integrum sit individuationis principium, formam tamen esse principium praecipuum, & principale, materiam vero minus principale, ac veluti conditionem sine qua non, ita Zabarella lib. de constitutione individui c. 5. 6. & 7. Zimar. theor. 97. Pererius lib. 6. cap. 12. Piccol. lib. 3. de prima rerum materia cap. 17. Niphus 5. Met. q. 5. Durand. 1. d. 42. q. 1. & 2. d. 3. q. 2. Contraren. quae. de princ. ind. cap. 10. & seq. quibus etiam ex parte subscribere videtur Suarez disp. 5. Met. sect. 4. Averis qu. 9. Log. sect. 7. Quotiam relati Auctores, ut praesertim, asserere videntur formam nondum individuatam compositum, sed etiam materiam, quam informant.

Faber nosse theor. 90. cap. 10. ait opinionem asserentem solam formam esse principium individuationis esse veram, si bene intelligatur, pro quo notat ibidem formam habere varias realitates, per quas est contrahibilis, & communicabilis pluribus, unde forma specifica est communis, quia habet realitates diversas, per quas communicari potest, rationalitas enim est forma realis communis, sed in ea clauduntur multae realitates, quas nomine proprio ignoramus, & istae sunt, quae dant esse individui, una enim realitas dicit esse huiusmodi Socrates, & quam postquam appellare Soreitatem, alia dat esse Platonem, & hanc dicemus Platonitatem, & sic de aliis; adeoquod scit hęc forma, animal, est communicabilis per varias realitates, quas includit, ut est rationalitas, & alia differentiae constituentes alia species animalis, ita rationalitas est contrahibilis per Soreitatem, Platonitatem, &c. quae dicuntur differentiae individuales, istae autem realitates non distinguuntur per alias differentias, sed sunt primo diversae, & istae sunt, quae appellantur formae particulares, realitates enim quae Sortes est homo, dicitur forma particularis Soreis; sed non est forma distincta realiter a rationalitate in communi, sed est eadem realiter cum forma, quae dat esse reale speciei, & solum formaliter ab ea distinguitur; unde forma partis duobus modis accipi potest, uno modo pro forma communi, alio modo pro ultima realitate formae, in primo sensu falsa est opinio ponens formam principium individuationis, sed in secundo sensu est vera. Unde concludit cap. 2. quod quia Doctor 2. dist. 3. quae. 6. non determinat, quanam sit realitas illa, a qua sumitur individualis differentia, an scilicet sit realitas materiae, formae vel compositi, verosimilius esse ultimum realitatem formae ob rationem ex eo inferri referendam, quem etiam dicendi modum, ut de mente Scoti amplexus est Brundensius, qui scripsit in 2. sent. d. 3. quae. 8. quos Scotus dicit vidisse Contraren. q. cit. cap. 8. & non alios, censet hanc esse opinionem Scoti, & Scotistarum, & ideo ex hac parte eam approbat; ac etiam Zabarel. loc. cit. cap. 8. putat Scotum ab hac opinione non distare, cuius rei autem signum esse, quia in sua tam prolixae de hac re disputatione, in qua alias omnes sententias diligenter impugnat, hanc opinionem de forma non impugnavit.

97 Dicendum est, nec forma, nec ultimam realitatem formae esse absolute principium individuationis, & nec etiam si simul cum materia sumatur. Conclusio tres habet partes, ut patet, & quidem quoad primam statuitur contra primam modum dicendi Averroistarum, qui formam solam faciebant principium individuationis, & quamvis Scotus 2. d. 3. non tractet hanc quaestionem in terminis, an forma sit principium individuationis, tantum abest, quod ob id in eam consenserit opinione, ut arbitratur Zabarel. cuius indicium habet adhuc, quod potius eam non tractavit ex proffeso, quia ut communem sententiam & ab omnibus receptam putavit, quod forma non sit individuationis principium, & ideo tanquam verum apud omnes, & extra controversiam suppositum, ut constat ex his, quae habet dist. 3. cit. quae. 5. ubi probat materiam non esse individuationis principium, quia dividitur in universalem, & particularem sicuti forma, & est pars quidditatis specificae cum illa; & ideo non esse principium individuationis, sicut ob eandem rationem forma tale principium non ponitur; & ideo hanc conclusionem, ut de mente Scoti tenent Scotistae omnes supra cit. Canon. Tromb. Bassol. Rada. Poncius, Tatar. Licher. Meurille, & alii passim; ubi tamen hic ultimus Auctor eam probat ratione saltem consensu, & nihil concludere; probat enim sic quae. cit. consensu, 5. forma dat solum esse specificum, ergo non dat esse individuale. Probatur antecedens, dare esse specificum est adequata ratio formae, quatenus forma est constitutiva gradus, non enim loquimur de forma prout est informativa materiae, & constitutiva compositi; ergo forma dat solum esse specificum, Pro-

bat rursus antecedens, ad adequata ratio formae, ut est constitutiva gradus, est collocare rem sub determinato genere, & efficeret, ut conveniat cum multis aliis, quae sub eodem genera continentur, quae modo modum enim forma distinguit specificē, ita assimilatae numero distincta, sed hoc est esse specificum, ergo ad adequata ratio formae est dare esse specificum. Haec ratio nil valet, ut certe vim ejus non capio, saltem siquidem assumit, quod forma det solum esse specificum, cum etiam det individuale, ut inquit Doctor d. 18. q. un. sub C. & 4. d. p. 11. quae. 3. H. Ehrlich. 3. dist. 22. q. un. ubi rationem assignat, quia sicut forma, & materia in communi constitunt compositum in communi, ita haec materia, & haec forma constitunt compositum in particulari, ut principia physica particularia ejus, non ergo negari potest, quod forma hoc pacto, sicut materia; det partialiter esse particulare compositum; unde etiam falsa est probatio antecedens, quod dare esse specificum sic adequata ratio formae, si in hoc sensu intelligatur, ut verba praesefereunt, quod sola forma det adequatē esse specificum, quia tunc sola forma esset tota quidditas compositi, nec materia daret suo modo esse specificum, quod expresse tradidit Doctor loc. citat. & veritati; neque fatis capio, quod ait Meurille in praesenti loqui de forma prout est constitutiva gradus, non autem prout est informativa materiae, & constitutiva compositi; quia certum est, ipsam tantum esse constitutivam gradus specificae, inquantum constitutiva est compositi specificae, & in communi, nec concipi potest esse ullo modo constitutivam in gradum, nisi simul concipiatur constitutivae compositum in aliquo gradu.

98 Primo itaque melius probatur, vel enim forma physica est entitas de se communis, & universalis, vel particularis, vel ad utrumque indifferens, si primum, jam clarum erit principium individuationis esse non posse, cui directē, & per se primo communitas repugnat; si secundum, ergo forma nequit constitutivae rem in esse specifico, nec erit pars quidditatis, ut sic, & tanto minus tota quidditas, ut illi Averroistae volunt; si tertium, ut re vera dici debet, sequitur adhuc principium individuationis esse non posse, sed indigere alio, quo determinetur ad esse individuum, cum de se sit indifferens ad universalitatem, & singularitatem; varias solutiones, & evasiones Ad versariorum refert, & fuscē confutat Faber loc. cit. quae hic brevier strin-go. Respondet Zimar, quod duplex est forma, alia universalis, alia particularis, illa constituit speciem, sive esse specificum, & haec individuum. Contra, quia tunc in quolibet composito essent plures formae substantiales, & realiter diversae, una qua esset homo v. g. & alia qua hic homo, quod est falsum, quia ad multiplicationem graduum praedicamentalem non debent pluralitari formae substantiales in composito, ut probatum est disp. 8. Met. q. 6. art. 1. contra communem Averroistarum multiplicationem in compositis formas physicas ad multiplicationem graduum metaphysicorum, unde minus recte ait Faber cit. omnes istos Adversarios ubique concedere, quod est eadem forma; quae Sortes est corpus, animal, homo, & hic homo.

Respondet proinde aliter Zabarel. formam duobus modis considerari posse, vel ut dat esse essentiae, & sic est universalis, & dat esse specificum, vel ut dat esse existentiae, & sic est particularis, & principium individuationis. Recte hic solutioem Faber, quia una forma nequit dare duos modos essendi oppositos, sed esse universale, & esse singulare sunt duo modi essendi oppositi, quia esse universale est esse communicabile, esse vero singulare est esse incommunicabile, ergo una forma non potest dare istos modos essendi oppositos; Haec instantia nulla est, quia ipse in computatione solutionis Zimar, immediate antea docet Sortem per eandem formam esse hominem, & hunc hominem, immo & ipse tenetur ad solutionem argumenti, quia vult ab eadem forma peti esse specificum, & individuale, quod si dicat hoc fieri per diversitas ejus realitates, nempe formam per suam realitatem non ultimam dare esse specificum, & per ultimam esse individuale, sic etiam respondebit Zabarel. quod utique eadem forma dat secundum quod dat esse essentiae, & sic est universale, & secundum quod dat esse existentiae, conferre esse specificum, Mellius proinde refellitur hęc solutio, quod si forma est principium individuationis, ut dat esse existentiae, ergo forma non se sola fed cum existentia erit principium individuationis; vel potius ipsa praecise existentia, ut postea & ipse Faber argumentatur; at superius probatum est, neque existentiam esse principium individuationis, praesertim quia existentia supponit naturam singularitatem, Respondet denique Pererius, quod forma quantum est ex se, est indifferens ad universalitatem, & singularitatem, per abstractionem autem intellectus fit universalis; quatenus vero producitur ab agente per dispositiones singulares fit singularis, & ut sic est principium individuationis. Sed neque haec responsio est ad rem, quia hic quaerimus principium individuationis intrinsecum, non vero extrinsecum, quale est agens; quod si dicat formam fieri quia dispositiones illae sunt singulares, quae nequeunt esse principia individuandae substantiarum, tum quia ad huc de ipsis dispositionibus quaerendum manet, per quid sint singulares; tum quia etiam si forma fieret eo modo singularis, non inde sequitur, esse posse principium individuationis, sed potius esse quoddam individuum incompletum, & singulare, ut quod.

99. Secundò probatur eisdem omnino rationibus, quibus probatur esse quod præ. art. 1. materiam non esse individuationis principium, nam forma est divisibilis in universalem, & particularem, non est primò incommunicabilis in ratione formæ, sed communicabilis huic, & illi formæ. Tum quia hæc forma fit incommunicabilis, tamen neque ipsa est per se primò incommunicabilis, & ut quo, sed ut quod, & per aliquid superadditum, sed principium autem individuationis debet esse solum incommunicabile primò, & ut quo. Tum quia forma realiter distinguitur à substantia materiali composita; ergo nequit metaphysice constituitur substantiam materialem individuatam, nam tale principium est cum re individuatam realiter identificatum. Tum quia sequeretur, quod multiplicata materia, & conservata in singulis eadem forma, compositum esset omnino idem, quod est falsum. Tum denique quia non solum forma est principium intrinsecum constituens totam rei compositam, entitatem, sed etiam concurrens materia, & sicut compositum in communi non solum formam includit, sed etiam materiam, ita hoc compositum, nedum essentialiter intrinsecè hanc formam includit, sed etiam hanc materiam, non ergo sola forma dicitur individuationis principium. Respondent, formam nedum habere vim individuatam compositum, sed etiam materiam ipsam, quia forma non tantum dat esse compositum, sed etiam materiam; ex quo fit, ut hoc ipso, quod materia jungitur eidem formæ numero, sit ipsa eadem numero, & resulet idem numero compositum, atque ita præsertim sentit Durandum 4. d. 44. q. 1. refert Suarez disp. 3. sect. 4. licet alii referant Durandum asserere solum, quod esse materia in communi fit de essentia compositi in communi, tamen materia particularis non est de essentia compositi particularis, unde conferretur inquit, quod in resurrectione quamvis animæ non daretur eidem numero corpus, quod antea habuit, sed ex alia materia compositum, esset idem numero homo, qui antea fuerat, sed quicquid sit de mente Durandi, certum est, multos ex præcæditis Auditoribus tenere, quod forma nedum individuat compositum, sed etiam materiam, quam informat, cuius dicitur falsitatem ad hanc infringendam solutionem nunc ostendit.

100. Tertio itaque probatur materiam non individuari per formam, in primis quia falsum est, quod Adversarii dicunt, formam dare esse intrinsecum, & essentialia materia; sicut dat compositum, nam potius res contra se habet, quod materia est causa formæ, quatenus de illius gremio educitur, & illi præsupponitur saltem prioritate nature, ut ejus subiectum, & sicut forma in communi præsupponit materiam in communi, ita forma in particulari supponit materiam in particulari, & singularem. Tum quia si suum esse proprium, & intrinsecum à forma recipere, tunc generatur, & corrumpitur ad ejus generationem, & interitum, quæ omnia constant ex dictis in physicis. Tum quia, ut arguit Doctor 2. d. 12. q. 1. materia peculiariter terminat productionem à productione formæ distinctam nempe creationem, actio autem, & productio, ut apud omnes est in consensu, immediatè terminatur ad rem singularem certum, ac designatum esse habentem. Tum quia eadem materia singularis potest succellere informari pluribus formis, cum sit commune subiectum omnium transformationum naturalium, alias materia geniti, & corrupti eadem numero non esset. Tum quia sequeretur, quod materia una ab alia realiter, & numeraliter distincta posset illi numero identificari, si formam illius recipere, quod est impossibile; concludendum igitur est, materiam non individuari per formam, quia nihil individuat, ut sæpius dictum est, per aliquid à se realiter distinctum, & præsertim quia materia per Dei potentiam potest esse sine forma. Dices, materiam utique non individuari per formam in se, sed per ordinem ad certam formam, quia sicut materia in communi respicit formam in communi, ita materia in particulari respicit hanc formam in particulari, & individuatur per habitudinem ad eam. At hæc solutio subtiliter nequit, quia nedum materia, ut sic, respicit indifferenter quamcumque formam, sed etiam materia hæc, & singularis ad singulas formas indifferenter se habet, ita ut distinctim possit singulas recipere, & hæc indifferencia illi convenit, quatenus est primum, & commune subiectum formarum omnium. Tum quia si hæc materia determinaret sibi hanc numero formam, tunc eadem materia in genito, & corrupto esse non posset, nec posset esse subiectum commune omnium transformationum naturalium, de cuius ratione est, ut idem numero permaneat sub utroque termino mutationis.

101. Quarto præterea probatur conclusio ostendit falsitatem aliorum dicti Durandi, quod ad unitatem numeralem compositi servandam sola sufficit unitas formæ, atque idem, quod non daretur animæ in resurrectione idem numero corpus, quod antea habuit, sed ex alia materia consecuta eidem numero homo, qui antea fuerat, hoc inquam omnino falsum est, & communi Theologorum calculo rejectum, quia ad unitatem numeralem compositi præter eandem numero formam requiritur etiam identitas numeralis materiæ, ut notat Doctor 2. d. 20. q. 2. lit. B. & ad resurrectionem ejusdem hominis opus est eandem animam eidem corpori uniri, ut idem Doctor docet 4. d. 44. q. 1. §. de secundo, & §. ad argumentum, quæ est communis opinio Theologorum, hoc autem probari potest ex concessis ab ipso Durando, concedit enim ipse materiam in communi esse de essentia compositi in communi, ex hoc autem sequitur materiam quoque in particulari esse de integritate, & essentia individui in particulari, consequentia probatur, quia sicut tota essentia individuatur debet, & non tantum

pars essentia in composito, ita etiam individuatio supra totam essentiam cadere debet; ergo individuat, quam in generali physico dat forma composita, totam essentiam compositi individuat nequit, sed pro tota essentia ejus non sufficit, quandoquidem tota compositi essentia non ex sola calefcit forma, sed etiam ex materia. Confirm. quia individuat à forma proveniens nequit essentiam compositi totam adæquare in individuando, sed tantum pro ea parte, quam præstat forma; ergo pro alia parte à materia individuari debet, ergo ad perfectam numeralem unitatem compositi physici requiritur unitas numeralis nedum formæ, sed etiam materiæ. Confirmat. tandem quia unitas servata proportionem sequitur esse, sed esse individuale compositi non tantum ex hac forma calefcit, sed etiam ex hac materia; ergo etiam unitas numeralis ejus ex unitate tantum formæ nequit attendi, sed etiam poltulat unitatem materiæ, loquendo tamen de modo individuandi physico, quo tantum pacto materia, & forma individuate compositum dici possunt, quatenus fuit principia in se ipsa ejus constitutiva etiam in particulari, non autem de modo individuandi metaphysico, quia hic tantum competit differentia individuali contrahenti, & determinanti naturam specificam ad esse hanc, ut infra explicabitur.

102. Quinto probatur, secunda pars conclusionis, quod nempe neque ultima realitas formæ fit principium individuationis compositi materialis, neque ipsius materiæ, ut asserbat Faber, quamvis enim ultima realitas formæ bene ponatur esse principium individuationis ipsius formæ, quia est sibi realiter identificata; & quia est ultima potest naturam, & essentiam formæ: ut sic, contrahere, & determinare ad esse hanc, ipsamque incommunicabilem facere, ut quod, & ut superius in superiori, attamen respectu compositi, & materiæ hoc minus obire nequit, cum sit ab unoquoque realiter distincta, nihil autem individuat per aliquid à seipso realiter distinctum, ut toties dictum est: Quod finerit Faber totum physicum realiter à partibus distinguit, quia inquit partes unitas in toto transire in illud per realem identitatem; præterquam quod hoc ejus principium disputat. 5. Physic. quæst. 11. art. 2. late convulsitum est, attamen negare nequit, quin ipsa forma realiter distinguitur à materia, ac etiam à composito per se, & singillatim sumpta, unde & materia saltem de potentia Dei absoluta potest esse sine forma, & forma sine composito, ut constat de anima separata; ac principium individuationis separari nequit à re per ipsum individuatam, nec res individuatam ab illo principio, ergo sicut forma hoc hanc rationem nequit poni principium individuationis nec materiæ, nec compositi, ut supra dictum est, ita nec etiam ultima formæ realitas, nam eadem ratio, quod hanc partem militat tam de forma ipsa, quam de ultima ejus realitate, Confirm. quia duo individua per idem individuationis principium nequeunt individuari, ut de se constat, quia vel tunc principium individuationis esse commune pluribus, quod ejus rationi directè repugnat, vel illa non essent plura individua, sed unum, & idem, ergo forma, ut natura quadam, per ultima sui realitatem individuetur, illa realitas nullo modo poterit esse principium individuationis compositi. Quod si dicat id valere de duobus individuis completis, non autem de uno completo, & alio incompleto, quod concurret ad constitutionem illius completi. Hoc minime juvat, quamvis enim hoc individuum incompletum ad constitutionem illius completi concurrat, adhuc tamen realiter distinguitur ab illo, & absolutè esse potest simpliciter, ut patet de anima separata respectu hominis; ergo non erat idem principium individuationis utriusque. Confirmat. adhuc, quia eadem forma potest saltem per potentiam Dei absolute succellere plures informare materias; non enim repugnat, quod anima, quæ est in hoc corpore, fit etiam in alio ejusdem rationis, nec tamen esse omnino idem numero compositum, quia ad perfectam ejus identitatem requiritur etiam identitas materiæ, ut supra probatum est; ergo forma per suam ultimam realitatem non est præcisa, & adæquata ratio individuandi compositum. Tum quia etiam de facto eadem numero rationalis anima informat plures ejusdem corporis partes, ut caput, & pedes, quæ & numero, & plura numero distinguuntur, ergo, &c. Quod si dicat in singulis adhuc reperiri in nostra sententia diversas missionis formas. Hoc solum sufficeret ad invalidandum, quod sit plura individua incompleta constituta in esse individuali per ultimas realitates illarum formarum partialium; sed quia in esse ultimato, & completo constituuntur per eandem animam, adhuc sequeretur, quod partes illæ, v. g. caput, & pedes, esse individua completæ, & corporis animati non distinguerentur numero, quod tamen falsum est, quia caput est diversæ animata à pede, &c.

103. Deinde discursus ille Fabri relatus ab initio quæst. nu. 96. multa falsa continet; nam explicare volens, quomodo ultima realitas formæ partis fit principium individuationis compositi, affert exemplum de rationalitate, in qua ait claudi, & continere plures ultimas realitates, scilicet Sortieitatem, & Platoneitatem, & præculdubio loquitur de actuali inclusione, & continentia, si enim ultima realitas formæ continetur in forma, cum fit et realiter identificata; at falsum est, quod rationalitas fit forma partis, quamvis enim sit differentia sumpta à forma partis aliquo pacto, attamen non est ipsa forma partis, & rursum falsum est, Sortieitatem, & Platoneitatem esse ultimas realitates rationis unitatis, sunt enim potius ultime realitates humanitatis, & totius naturæ specificæ, quia tota in

totam naturam contrahunt, & non partem, & hoc ipsum convincitur ex eo, quod in huius asserti probationem adducit, inquit enim, quod sicut hæc materia, animal, est communicabilis per varias realitates, quæ includit, ut est rationalitas, & alia differentia constituentes alias species animalis; ita rationalitas est contrahibilis per realitates Sortieitatis; & Platoneitatis; sicut ergo animal per ipsum est, quod communicatur, & contrahitur per differentias específicas, non autem sensibilis, quæ est differentia animalis constitutiva; ita pariter dicere debet, quod humanitas, & tota natura specifica est, quæ communicatur, & contrahitur per individuales differentias, non vero rationalitas, quæ est differentia humanitatis constitutiva; Tum quia quando id est de ratione conceditur, falsum est Sortieitatem, & Platoneitatem in ipsa actualiter includi, quia differentie inferiores non actu continentur in superioribus, sed ad summum in potentia, ut liquet de differentie ultimis specificis in ordine ad genericas, neque enim rationalitas actu continetur, & includitur in sensibilibus, quia tunc brutum ex parte est rationale, & homo ex parte irrationalis, quandoquidem tam rationalitas, quam irrationalitas actu includerentur in sensibilibus.

104. Rursum falsum est, quod ultimo addebat Faber cit. c. 2. Doctorem illa q. 6. non determinare, quænam sit ultima realitas, à qua sumitur differentia individualis, an scilicet sit realitas materiæ, vel formæ, vel compositi, quod forte Faber inde deduxit, quia Doctorem vidit loquentem cum particula disjunctiva, & veluti dubitative; at absit ut defectum adeo notabilem Doctori tribuamus in resolutione hujus quæstionis de individuationis principio, ut tam exactè, & diligenter aliorum placita expendit, & rejecerit. Et tandem quæstionem irresolutam reliquerit, immò diserte & clarè id Doctor resolvit ibidem lit. K. inquit, & siquæ, quæ est ista essentia individualis, à qua sumitur differentia individualis, esse materia, vel forma, vel compositum? Respondet, quod est ultima realitas entis, quod est materia, vel quod est forma, vel quod est compositum, ubi particula, vel, non est dubitativa, sed potius distributiva, ac in sensu (ut supra) accommodo intelligenda, ita ut principium individuationis materiam, ut sic, & ut est quadam natura communis, sit ultima realitas ejus, principium individuationis formam, ut sic, sit ultima realitas ejus, & denique principium individuationis compositum sit pariter ultima ejus realitas, unde Scotus ibi nedum assignat principium individuationis substantie materialis compositæ, quæ est natura completa, sed etiam principium individuationis materiæ, & formæ, quæ sunt naturæ communes incompletæ, & dicit unamquamque harum naturarum posse dupliciter considerari, vel ut naturam, vel ut hanc naturam, & sicut in se dividit in duas realitates, quarum una non est formaliter alia, & una formaliter est singularitatis, alia vero formaliter est entitas naturæ, & tales plures realitates, inquit, nedum inveniuntur in natura completa compositæ, sed & in naturis quæque incompletis partium; & tandem subdit, nec possunt ista duo generaliter esse res, & res, sicut possunt esse realitates, unde accipiuntur genus, & realitas, unde accipiuntur differentia specificæ, sed semper in eodem sensu, sive toto, sive parte realitatis, ejusdem rei formaliter distinctæ, quibus ultimis verbis sive parte, sive toto, &c. expresse indicat totum non individuari per ultimam realitatem alicujus sue partis, sed per ultimam sui realitatem sibi realiter identificatam. Accedit, quod Scotus in ea questione, nedum assignat principium individuationis substantie materialis (licet de hoc principiariter ibi quæret) sed cujuscumque naturæ creatæ in universum, etiam substantiarum spiritualium, seu Angelorum, in quarum gratiam omnes illas quæstiones, etiam de substantiæ materialibus tractavit, unde post q. 7. sequenti docet, quamlibet naturam angelicam individuari per ultimam sui realitatem, non ergo per hanc ultimam realitatem, quam statuit principium individuationis substantiarum materialium voluit intelligere ultimam realitatem formæ, sed ultimam realitatem cujuscumque naturæ individualis; sive sit immaterialis, sive immaterialis, sive completa, sive incompleta, ut magis infra explicabitur, dum in unaquaque re principium individuationis assignabitur.

105. Postremo probatur ultima conclusio pars, quod neque forma simul cum materia fit adæquatam individuationis principium, ut hic de eo loquimur; probatur, quia materia, & forma sunt partes quidditatis, & essentia specificæ, & sunt principia essentialia, in quibus omnia individua composita conveniunt, ut omnes concedunt, & præsertim docet Doctor 3. d. 22. q. un. ergo non sunt principia individuationis, sed potius & ipsæ sunt naturæ individualibus consequentia patet, quia principium individuationis est extrinsecum entitati rerum, nec est principium convenientiæ inter individua, sed omnimodæ differentia. Conf. quia licet materia, & forma sint causæ intrinsecæ compositi, tamen compositum præsertim in nostra sententia dicitur entitatem realiter distinctam à materia, & formæ, ergo nequit individuari per formam simul etiam cum materia; consequentia patet, quia nihil individuat per aliquid, à quo realiter distinguitur; Tum quia esse compositum (ut tacite occurrit solutioni) nequeat consistere à suis partibus separatim, tamen partes possunt à toto divelli, & seorsim separatè existere sine toto composito; ergo nequeunt esse principia illud individuatia; probatur consequentia, quia ob realem identitatem principii individuationis cum re individuatâ implicat æquè individuum sine principio individuationis existere, ac ipsum principium sine re individuatâ per ipsum.

287. Metaph. P. 2. Tom. 7.

Respondent rationem probare solum de materia, & forma in communi, quo pacto sunt partes specificæ quidditatis in rebus materialibus, non autem de materia, & forma singulari, quæ quidem sicut sunt principia constitutiva individui, ita quoque individuationis ejus. Et sic etiam confirmationem ajunt valere de principio formali metaphysico, non autem de principio radicali physico. Contra, quia si materia, & forma, ut sic, non sunt singulares, sed naturæ de se communes per differentiam pluribus materiis, & pluribus formis particularibus, sicut superius dicitur commune suis inferioribus; ergo fieri debent singulares per aliquid naturæ communi ipsarum superadditum, & ita neque hæc materia, neque hæc forma erunt per se primò singulares, & ut quo, sed ut quod, & per aliquid aliud superadditum, & hoc erit verum, & proprium individuationis principium, quod hic velligamus, & de quo non amplius quaerendum restat, per quid fit hoc, cum sit tale per se primò, & ut quo. Et per hoc etiam restituitur responso ad confirmationem datam, quæ potius facit pro nobis, quia ut supra dictum est, hic non quaerimus principium individuationis physicum rerum materialium, nemo enim dubitare potest materiam, & formam esse hujusmodi principia, cum compositum in tantum sit hoc, aut illud, inquantum constat ex hac, & illa formæ, & materiæ; non inquam, tale principium individuationis quaerimus quia ut notat Bass. cit. 2. d. 12. q. 4. verum & proprium individuationis principium est illud, quod est per se primò singulare, & de quo non amplius quaerendum restat per quid sit factum singulare, & per quid fuerit transactum; hoc autem solum verificari potest de differentia individuali contrahente naturam specificam, quæ dicitur principium individuationis metaphysicum, non autem de materia, & forma etiam singularibus, quandoquidem adhuc de ipsis quaerendum restat, per quid sint factæ singulares, & hinc est quod apud Philosophos solum principium individuationis metaphysicum dicitur verè, & propriè hujusmodi principium, non verò principium physicum, quod etiam libenter fatentur illi ipsi Auctores ab initio citati, qui dicebant compositum individuari per materiam, & formam singularem, unde Averis 9. p. 1. c. 7. postquam id assertum cont. c. 1. statim subdit, Ceterum non per hæc duo esse sufficienter assignatum principium individuationis in ipso composito, quoniam hoc modo tantum physice assignatur, non autem per modum differentie contrahentis, & determinantis naturam specificam, quod tamen hic precipue quaeritur; & in eodem etiam sensu loquitur Suarez cum ait materiam, & formam singulares esse principium individuationis compositi physici; quod si sensum hunc intendat alij quodque Sectatores hujus opinionis, ut Zabarel, & Contaren, non illis repugno, sed quia aliud posset principium individuationis metaphysicum, & ultimum non assignant, videntur velle, quod materia, & forma singulares sint adæquatam principium individuationis compositi, ita ut aliud non sit quaerendum, & idem non bene philosophantur.

Objectiones Solvuntur.

106. IN contrarium obiicitur primò probando solam formam esse principium individuationis, jam Arist. 1. Phys. 69. formam appellavit hoc aliquid, & 2. de anima tex. 2. ait per formam fieri hoc aliquid, sed hoc aliquid non est aliud quam individuum, ut constat ex c. de substantia, & alias plures auctoritates ex Comment. ad hoc Bassolius adducit loc. cit. 7. met. 4. ait formam esse actum, quæ ab invicem individua separat, & distinguit; ergo ipsa est principium individuationis. Item 2. Phys. 91. distinctio materiæ est propter distinctionem formæ, & 1. de anima tex. com. 53. membra Cervi non differunt à membris Leonis, nisi quia anima Cervi differt ab anima Leonis, ut præsertim ibi explicat Commentator; ergo sola forma est individuationis principium.

Respondet Averis loc. cit. quem etiam imitatur Pasqualig. his, & consimilibus auctoritatibus, & rationibus inde deductis non probari solam formam esse principium individuationis, sed tantum esse principium & principale non excludendo materiam, quæ responsio non autem de metaphysico, sed quia absolute loquuntur minus rectè respondent, unde melius est dicere, cum Bassolius, quod per formam est aliquid, non sicut per immediatum, & proximum fundamentum repugnantia ad divisionem, sed sicut per causam intrinsecam, & principalioris ejus, quod est unum n. vel individuum, sicut adus est pars principalior quam potentia alicujus compositi; unde, ut vides, explicat Bassolius auctoritates de principio physico, non autem metaphysico, de quo propriè hic est quaestio. Adhuc tamen respondere libet ad singulas auctoritates, eaque ad intentionem Arist. exponere. Ad primam falsum est hoc aliquid illis in locis sumi, ut in cap. de substantia, scilicet pro individuo, & uno numero, sed sumitur pro natura specie constitutum, unde ipsa dicitur esse hoc aliquid, ut certa, ac determinata specie, & in certa, ac determinata numero Interpretum Arist. ibid. & præsertim 2. de anima tex. 2. in potentia, & per esse hoc aliquid intelligit esse in actu, sed generarius ad vertit; sed quia per esse in actu contradiendum ab esse in potentia non intelligit esse in actu existentem, sed intelligit de actu formali, & specifico, ideo hæc expositio recidit in 1. Ad 2. respon-

Non respectu, cum sit accidens, querendum manet, per quid individuetur.

Respondetur debere intelligi de ordine aptitudinali, qui est respectus transcendentalis identificatus realiter, & essentialiter cum ipsa forma, neque inconvincens est (ait Bannes) talem respectum esse formam absolutam intrinsecam, ut ostendi potest multis exemplis, per quod vitare praeferunt argumentum cum suis confirmationibus. Sed haec solutio, ut facilius datur, ita facile impugnatur, nam fallum est hoc accidens dicere determinatum ordinem ad hoc subiectum, quasi aptum non sit, ut possit poni in alio subiecto eisdem rationis; immo omne accidens singulare quantum est de se, equè indifferentem respicit quodcumque subiectum in sua specie ubi proportionatum; & nulli dubium est, quod si vellet Deus accidentibus panis in Eucharistia rursus substantiam panis dare pro subiecto, non cogitur dare illam eandem numero, quae in corpore Christi est transubstantiata, sed potest dare aliam numero, & similis discursus fieri potest de forma substantiali respectu materiae, & de anima respectu corporis, nam eadem forma substantialis potest saltem successivè poni in diversis materiis, & eadem anima in pluribus; immo de facto eadem anima rationalis informat successivè diversas materias partes in nutritione viventis, quae per actionem naturalis agentis continuè fluunt, & resiliunt. Deinde diversae aptitudines diversis conveniunt ob eorum diversitatem, non autem per aliquod commune ipsi, alioquin omnibus, & singulis eadem aptitudo conveniret; ergo diversae aptitudines nequeunt esse primo distinctiva aliquorum. Tum quia aptitudo non est ens absolute, sed respectivum, & absolutum a toto genere est prius respectivo saltem natura, quia respectus fundatur in absoluto, live sit praedicamentalis, sive transcendentalis, individuatio autem, aut est prius natura, aut saltem simul natura cum re individua, & singulari; ergo forma absoluta nequit individuari per aptitudinem ad hoc subiectum. Denique quavis respectus transcendentalis realiter cum absoluto identificatur, non tamen formaliter, & essentialiter, quia numerum respectus potest esse de essentia absolute ex disp. 8. Log. quaest. 2. ad differentia individualis, licet una specificata, tamen est de intrinseco conceptu individui, ut individuum est; ergo nullus respectus quantumvis transcendens constitui potest differentia constituens absolutum in esse individuali; atque ideo ex hoc capite concluditur argumentum principale, quod nequeat forma absoluta constitui individua per ordinem ad subiectum etiam aptitudinalem, quia tunc individuum non diceret conceptum per se unum, neque individualis differentia esset intrinseca individuo, id est de intrinseco, & formalis eius conceptus, quia respectus cum absoluto non integrat conceptum per se unum, nec est de conceptu eius essentiali, & intrinseco, etiam si sit transcendentalis.

113. Secundo, probatur ratione, quae solent uti Thomistae contra Scotum ad probandum haec eadem non posse singularizare naturam, sed eam supponere solum, quia actus singularis supponit potentiam, quam actu debet, singularem 2. Phisic. 38. quantumvis enim haec ratio parum, & nihil concludat de actu, & potentia metaphysica, quia non sunt realiter distincta, ut supra dixi num. 27. tamen in proposito de materia, & forma, subiecto, & accidente, quae se habent, ut actus, & potentia physice, & sunt abinvicem realiter distincta, concludit mirabiliter. Dices, ex hoc tantum sequi, quod accidens supponat subiectum singulare, & pariter forma substantialis singularem materiam, non tamen e converso. Contra, quia proportio ista actus, & potentiae fundatur supra commensurationem, quae versatur inter ea in ratione receptibilis, & receptivi, & cum haec sit relatio mutua, ut patet in quantitatibus; patet, quod sicut actus singularis supponit potentiam singularem, ita etiam e converso potentia singularis supponat actum singularem. Conf. quia ideo actus singularis supponit potentiam, quam actu debet, singularem, quia si esset potentia universalis non e commensuratur, nec eam ad quare, ergo e converso eadem ratione potentia singularis requirit actum singularem, & proportionatam; ergo antequam accidens recipiatur in subiecto, debet intelligi individuum, & pariter forma, antequam recipiatur in materia, & anima in corpore. Conf. adhuc, quia & forma in materia, & accidens in subiecto recipiunt secundum proprium esse entitativum, ad individuum, ita quod saltem in aliquo priori naturae praesupponantur secundum tale esse ad receptionem, ergo sunt individuae independentes a subiecto. Consequentia patet, & probatur alioquin, quia recipiuntur per modum actus informantis physico modo, sed haec informatio non fit, nisi secundum esse physicum, & entitativum, omne autem tale esse est individuum. Si dicas id probare tantum, quod forma non individuetur per receptionem actualem in subiecto, non autem, quod non individuetur per ordinem aptitudinalem, & receptibilitatem in illo.

Contra, quia haec solutio iam in precedentiibus ratione manet confutata, ac etiam ex proximè dictis ex commensuratione, quae inter actum, & potentiam versari debet, ac inter ipsa attendi ne dum in actuali receptione, sed etiam aptitudinali, adeo quod sicut potentia non est capax actus singularis, nisi ipsa sit singularis, ita neque actus sit receptibilis in potentia singulari, nisi sit in se singularis, unde nisi forma esset in se singularis, non haberet aptitudinem, ut in singulari subiecto recipiatur, ergo ille ordo aptitudinalis in forma ad singulare subiectum supponit ipsam formam singularem, & in eis singularitate fundatur: nam si forma singularis

non esset, consequenter nec esset proportionata, ut in singulari subiecto recipiatur. Sed nunc ulterius proba (qui punctus est valde notandus) quod cum Thomistae dicunt accidens individuari per ordinem ad subiectum, ut formam per ordinem ad materiam, non posse hoc intelligere de ordine aptitudinali, sed necessario secundum eorum principia debere intelligere de actuali receptione in subiecto; nam intantum ipsi dicunt formam quamlibet per subiectum individuari, quia per ipsum fit irreceptibilis in alio, & consequenter redditur incommunicabilis per modum formae, vel ut cuiuscunque alteri subiecto, ut mox patebit ex eorum objectionibus; sed haec irreceptibilitatem non acquirit forma a subiecto per ordinem aptitudinalem ad illud, sed per actualem, seu per actualem receptionem, nam antecederet ad istam semper est receptibilis, quantum est de se in quocunque subiecto eisdem rationis, ergo ponere debent iuxta eorum principia formam individuari per actualem ordinem ad subiectum. Tum quia esse receptum facit eam irreceptibilem, & consequenter incommunicabilem, non vero esse receptibilem, ergo in eorum principii fit individua forma per actualem receptionem in subiecto, non per aptitudinalem.

114. Tercio, possunt plura, & distincta numero accidentia successivè saltem in eodem subiecto reperiri, ut modo abstraximus ab alia quaestione, de qua infra disputat. 12. an plura talia accidentia possint simul reperiri in eodem subiecto; ergo non individuetur accidens per ordinem ad subiectum, quia si ita foret, nec etiam successivè possent plura accidentia numero distingui in eodem subiecto, quia scilicet semper est idem subiectum, ita quoque semper eadem daret individuationem, alioquin patet experientia, nam aqua v. g. saepius frigescit, & incalcet, aer saepius illuminatur, & tamen non est idem lumen, quod redit, non idem frigus, nec idem calor. Respondet Bannes, quod sicut ad unitatem numericae motus ex 5. Phisic. non solum requiritur unitas termini, & mobilis, seu subiecti, sed etiam temporis, ita etiam dicendum, quod ad unitatem numericam cuiuslibet alterius accidentis non solum requiritur, quod sit in hoc subiecto singulari, sed etiam quod sit in hoc tempore, unde diversitas temporis sufficit ad distinguendum numero plura accidentia eisdem speciei, quae successivè in eodem subiecto recipiuntur. Contra, quia sic dicendo iam accidentia a circumstantia temporis individuantur, & non a subiecto. Tum quia ex eorum principii non bene respondent, quia fundamentum eorum principium, cur accidens individuetur per subiectum, & forma per materiam, est, quia ab ipsis in esse dependet, & suum esse recipiunt, sed accidentia non accipiunt suum esse a tempore, sed tantum in tempore. Tum quia iam supra probatum est quaest. 5. art. 1. num. 53. ineptam esse temporis circumstantiam ad individuandum aliquem effectum, quia hic calor, haec albedo quae bene potest hodie produci, sicut cras, & calor modo in manu meae productus potest in ea per quorundam v. gr. durare, ac idem numero diversis partibus temporis coexistere. Tum quia potest Deus formam antea corruptam in eodem numero subiecto modo reproducere, ergo identitas eius non pendet ex identitate temporis.

Rursus fieri potest, quod duo colores numero distincti subiectum respiciant, prout connotat eandem temporis differentiam, nam eadem manus v. gr. potest eandem esse se calefieri pro temporis praesenti distinctum saltem, vel ab illo igne, vel ab illo, ergo cum calor, qui procedit ab illo igne sit numero distinctus ab illo, qui procedit ab alio, poterunt duo colores numero distincti respicere idem subiectum pro eodem tempore instanti. Hoc argumentum adducit Blasius ad Concept. disputat. 4. Met. quaest. 3. in fine, & respondet, quod subiectum non habet solum individuae diversae accidentia eisdem speciei per connotationem ad diversum tempus, sed etiam per connotationem ad diversum agentem, diversamque actionem, & una ex praedictis connotationibus sufficit in subiecto, ut numerice, & individualiter accidentia distinguantur, unde de mirum, quod illi duo colores, de quibus fit mentio in argumento, numero distinguantur, quia licet connotarent idem tempus, in quo possunt fieri, connotant tamen diversum agentem, diversasque actiones, per quas perunt fieri. Contra, ex hac ipsa ratione patet infirmitas doctrinae Thomistae de individuatione accidentium, primo enim absolute dicunt individuari per subiectum; deinde quia negare nequeunt plura accidentia eisdem speciei recipi saltem successivè in eodem subiecto, recurrant pro individuatione accidentis ad circumstantiam temporis; & tandem quia negare etiam nequeunt non posse in eodem tempore idem subiectum distinctum saltem recipere duos calores numero distinctos, recurrunt ad diversitatem agentium, & actionum, unde tandem insunt, quod accidens secundum ipsos, non ex subiecto individuetur, quod fatentur esse de se indifferentem ad recipientem hoc, vel illud numero accidens, sed ex diversis circumstantiis, in quibus reperitur, quod iam refutatum est supra quaest. 5. art. 1. nu. 53. & praesertim circumstantiam agentis non posse esse individuationis principium, iam probatum est disp. 8. Phisic. quaest. 3. art. 1. ubi ostendendum eundem numero effectum posse distinctum produci pluribus agentibus eisdem rationis. Demum fallum est, quod dicebat Bannes ad unitatem entitativam motus requiri unitatem temporis, solum enim requiritur ad unitatem eius contrariam, non vero entitativam, ut ostendi disput. 15. Phisic. quaest. 7. art. 2. disput. 5. de Gen. & Cor. quaest. 7. art. 1. & quando id etiam concederetur de motu, non inde sequitur

etiam de quocunque alio accidente debere concedi, quia motus et accidentis successivum, quod tempore mensuratur, & successivè secundum diversas sui partes diversis partibus temporis coexistit, ac calor, albedo, dulcedo &c. sunt accidentia permanentia, quae secundum totam vitam entitatem eandem numero coexistunt diversis partibus temporis succedentibus.

115. Quarto, si accidentia numero differrent per subiectum nec eundem duo accidentia numero distincta in eodem subiecto repugnant, sed etiam duo accidentia diversae speciei, quod est contra experientiam, nam in eodem primo v. g. videmus albedinem, & dulcedinem. Probatur consequentia, quia idem individuationis principium nequit plura numero dividuare, quia est proprium illius, quod individuat; si ergo idem subiectum plura accidentia speciei distincta individuetur potest, poterit etiam individuetur plura accidentia solo numero distincta.

Respondet Bannes cit. negando paritatem, quia accidentia speciei distincta dicuntur esse in eodem numero subiecto solum materialiter, formaliter vero dici possunt in diversis subiectis, nam istae formae sicut sunt diversae in diversis subiectis, nam diversae potentiae in eodem subiecto respiciunt, unde ponunt secundum aliam potentiam recipi in se albedinem, & dulcedinem aliam dulcedinem, quia albedo inest rei secundum quod participat de natura diaphani, dulcedo autem secundum naturam humidam; quam responsum amplectuntur, & magis declarat Salmaticensis tractat. de princip. individ. disput. 2. ubi 3. §. ad ultimum, dicens, quod respectu accidentium speciei distinctorum dantur simul in unico subiecto plures potentiae saltem virtualiter distinctae, secundum quas illas recipiuntur, ac respectu accidentium eisdem speciei unica tantum datur potentia receptiva, unde eo ipso, quod unum tale accidens recipitur in subiecto, eo ipso completur totam potentiam illius, adeo quod non est capax alterius eisdem rationis, bene autem aliorum accidentium speciei distinctorum, quae non recipitur in subiecto secundum potentias aliis accidentibus specie distinctis convenientes, ita non completur secundum secundum praedictas potentias. Haec tamen solutio multa contra tenet difficilia, & fortale voluntarie dicta, nam in primis non assignatur ratio, cur in subiecto multiplicentur potentiae ad multitudinem formarum speciei distinctarum, & non etiam ad multitudinem formarum eisdem speciei, cum relationes ad pluralitatem terminorum multiplicari debeant tam specie, quam numero. Deinde concessio, quod datur in subiecto una tantum potentia ad omnes, & singulas formas eisdem speciei, fallum est, haec potentiam compleri, & exhausti per receptionem unius dumtaxat formae, quia licet haec potentia sit una, non tamen est determinata ad talem formam, sed ad omnes & singulas indifferentes, ac indeterminate, cum ergo unaquaeque forma in se sit terminus talis potentiae inaequatae, consequenter adaequatae nequit, & complere illam potentiam, adeo ut licet alterius formae in capax saltem successivè, & distinctum, quod sufficit, ne illa accidentia dicantur individuari, & numero distingui per subiectum, ut patet ex ratione praecedenti. Tandem potentia receptiva accidentium secundum Thomistae est accidens, & ad idem pertinens genus, ad quod spectat forma receptibilis, ergo de tali adhuc potentia querendum restat per quid individuetur; an rursus per subiectum, vel per seipsum, aut suam differentiam realiter ipsi identificata; si primum, recurrit difficultas eadem, quae prius de aliis accidentibus urgebatur & dabitur processus in infinitum; si secundum, idem quoque de aliis accidentibus dici poterit, quod seipsum individuetur, & per proprias individualitates differentias, & nequaquam per subiectum.

116. Quinto probatur idem de accidentibus respectivis, quae a Recentioribus entitates modales vocari solent; probatur, inquam, neque ista, de quibus magis videtur, per sua individuari subiecta, sed per proprias haec entitates, pertractando praecedentes rationes, nam plures paternitates in sententia probabilis Scoti sunt in eodem Patre ad plures filios, vel saltem esse possunt successivè, quod & Thomistae non negant; possunt etiam & modi successivè variari in eadem re, ut si Petrus nunc sedet, postea surgit, & denuò sedet, non est ratio cogens, quod dicatur sedere postea per eandem sessionem, quia prius sedebat, sed aliam denuò productam sedere dicendum est. Tum quia, ut bene notat Suarez disp. 5. Met. sec. 6. num. 15. licet modus unionis in individuo huius formae ad hoc subiectum non possit esse in alia forma, sed necessario fit huic alligata, tamen forma eadem potest esse unica eidem subiecto per aliam numero unitatem, non enim est necesse, si distingarur haec unio, & pereat, velit Deus rursus hanc formam sedere postea unire per aliam unionem eisdem rationis, quia forma de se est indifferens, ut per hanc unitatem, vel per illam, & licet sit possibile eandem redire unionem, quando eadem rediret extrema, ut notat Doctor. 4. d. 3. q. 1. in fine, tamen hoc non est necessarium, quia in aliis modis figurae sessionis, aut similibus, non est necesse eodem numero reproduci, cum ergo possint illae uniones in eadem forma numero multiplicari successivè respectu eisdem subiecti, figurum est, nec entia respectiva sufficienter per subiectum individuari, sed potius intrinsece per proprias individualitates differentias, & extrinsece, per subiectum, & terminum. Quandoquidem si relationum individuatione ab aliquo extrinseco pe-

gi debet manifestativè saltem, nulla est ratio, cur eam ex solo subiecto, vel fundamento attendere debeamus excludendo terminum; sicut enim essentia relationis magis per ordinem ad terminum explicari solet, quam ad subiectum, vel fundamentum, ita quoque de eius individuatione philosophari debemus.

Respondet Pasqualis disp. 42. cit. sec. 2. num. 3. quod sicut huiusmodi accidentia modalia non habent proprium esse, sed sunt entitates subiecti, ita etiam per entitatem subiecti individuari debent; quia verò huiusmodi accidentia confluent in subiecto, eo quod tali vel tali modo se habeat, nec potest tali, & tali modo se habere, nisi concurrant aliqua extrinseca circumstantia, ideo eorum individuatione utique dependit a subiecto, non tamen simpliciter, & absolute sumpto, sed sic circumstantiato, unde ex variatione circumstantiarum fit, ut possit idem numero subiectum varias praestare individuationes huiusmodi accidentibus. Haec responsio fundatur in falso principio, quod huiusmodi entitates, quam Recentiores appellant modales, non habeant propriam entitatem aliam in re ab entitate subiecti; quod modificant, quamvis non habeat entitatem perfectam in eo gradu, sicut habet eorum subiectum, tamen sunt in se aliquid, & habent propriam entitatem in suo ordine, licet ita exilium, & imperfectam, ut per se consistere nequeant a subiecto separatae, ut notavit Doctor 2. d. 1. qu. 5. §. Quod si adhibet, & ideo sicut in se habent propriam entitatem aliam ab entitate subiecti, ita quoque propriam habere debent individuationem. Quod vero inquit potest idem subiectum his accidentibus varias praestare individuationes per varietatem circumstantiarum, coincidit cum responsione Thomistarum alata n. 114. atque ideo eadem modo est impugnanda.

117. Sexto probat hoc idem de accidentibus inseparabilibus Poncius disp. 6. log. qu. 8. concl. 2. quia licet cetera accidentia non individuantur per subiectum, ita haec non dici debent individuari, nisi sit specialis ratio, quae ad hoc cogat; sed non est, ergo &c. probatur minor, quia non est alia ratio praeter inseparabilitatem ipsorum, sed haec ratio nulla est, quia si ex inseparabilitate unius ab alio debet individuari per illud, Deus dicitur principium individuationis omnium creaturarum; quia nulla creatura potest esse sine Deo. Sed haec ratio Adversarii non multum facit negotium, nam inseparabilitas accidentis a subiecto, unde deducunt individuari per illud, non est sola inseparabilitas quoad existentiam, quo pacto creatura est inseparabilis a Deo, quia nequit sine Deo existere, sed etiam quoad unionem, ex eo enim quod videmus aliquid accidens esse necessario conexum cum suo subiecto, deducimus individuari per illud, hoc autem pacto creatura nedum est separabilis a Deo, sed etiam de facto separata, quia non est unita per inherantiam cum ipso, sicut forma subiecto; melius ergo conclusio quoad hanc partem probabitur, quia vel per accidentia inseparabilia intelligitur illa, quae talia dicuntur, non quia subiectum sine ipsis existere nequeat, sed quia ipsa nequeunt a subiecto separata consistere, & inseparabilitas in hoc sensu non facit, quod accidentia sic inseparabilia modis, vel per accidentia inseparabilia intelliguntur, sicut quibus subiectum naturaliter existere nequit, & ideo dici solent passiones ipsius, ut calor respectu ignis, & neque inseparabilitas in hoc sensu facit, quod accidens sic inseparabile per subiectum individuari debet, quia saltem per Dei potentiam potest subiectum sine tali accidente consistere, vel illo destructo alio consimili informari, vel denique per accidens inseparabile intelligitur accidens proprium; & passio proprie dicta aliquid est, & utique inseparabilis in hoc sensu potest esse in causa, ut accidens individuetur per subiectum, quia talis inseparabilitas oritur ex identitate reali accidentis proprii cum subiecto, unde cum accidens proprium non dicat entitatem aliam realiter ab entitate subiecti, consequenter per eam entitatem individuari potest, sed hoc non militat contra conclusionem, in qua est sermo de formis re ipsa distinctis a subiecto, quod informant.

118. Denique probatur id specialiter de anima rationali, quod non individuetur per corpus ex Scoto quod 2. ab initio lit. B. & 2. d. 3. q. 7. lit. A. anima intellectiva prius natura est terminus creationis, quomodo infundatur corpori, quia actio est singularis, & ad singulare terminatur ex 2. Met. sed in eo priori est haec, & singularis, ergo non per corpus. Quod si dicatur, ut re vera respondet Thomistae, animam non individuari per ad hanc unionem ad corpus, sed per aptitudinalem. Contra inquit Doctor multipliciter, quia natura, ac entitas animae est absoluta, illa verò aptitudo est relatio quaedam aptitudinali, quia sine termino intelligi nequit, sed absolute non est entitas absoluta, sicut enim nequit aliquid inclinari non est entitas absoluta, sicut enim nequit aliquid inclinari ad se, ergo praesupponit aliquam entitatem absolutam, & distinctam, quia enim est haec anima, ideo habet talem inclinationem, & non e contra, ergo inclinatio non est ratio essendi hanc animam, sed praesupponit eam. Tum quia quod convenit huic, & repugnat illi eisdem speciei, non convenit huic per se secundum illud, quod est commune illis; sed necessario praerogative distinctionem do ad hoc corpus convenit huic animae, & repugnat illi; ergo haec anima distinguitur ab illa distinctione praecedente aptitudinem; quae argumenta superius facta sunt refutando solutionem Thomistae.

Thomistarum ad primum argumentum pro nostra sententia sub numero 112.

Respondet Cajet. de ente, & essentia cap. 6. & cum eo ceteri Thomisti concedendo, animam non individuari per unum adualem ad corpus, sed per aptitudinem; ad primam, & secundam impugnationem aut procedere de aptitudine formaliter sumpta, quo pacto utique est relatio, & est posterior aliter sumpta, nec per tales aptitudines distinguuntur animae substantia- liter adinvicem, sed ratiōis accidentaliter; non tamen procedere de aptitudine fundamentaliter sumpta, id est pro ipsa commensuratione substantialis animae ad suum corpus, sic enim aptitudo animae ad hoc corpus non est posterior anima, cum sit ipsamet anima substantia, & sic etiam respondet Ferrar. contra Gentes cap. 81. & quavis Cajet. loc. cit. non utatur terminis, formaliter, & fundamentaliter, nam sub his terminis datur a Ferrar. tamen ut notavit Ripa de ente, & essentia ad cap. 6. qu. 3. coincidunt, nam aptitudinem formaliter sumptam Cajet. appellat relationem, & fundamentaliter sumptam vocat commensurationem substantialem; ad tertiam impugnationem negat majorem, scilicet, quod uni convenit, & non alteri semper dispositione distinctionem illorum; interdu enim secum fert, & parit distinctionem, ut patet de irrationali, & irrationali, irrationale siquidem homini respicitur, & hinc convenit, & ratiōis non praesertim, & aliōdū distinctivum, sed ipsa est differentia distinctiva; immo retorquet argumentum in Scotum, quoniam haecitas, seu singularitas animae Sortis convenit sibi, & respugnat animae Platonis; ergo haecitates praesupponunt ipsas animas distinctas, quod utique Scotus non concederet.

119 Ut haec solutio, & doctrina Thomistica plenius impugnetur, declarandum est, quid intelligant per hanc commensurationem substantialem in anima, quae est fundamentum commensurationis formalis, & accidentalis, quae est relatio, vel namque est entitas relativa, vel absoluta, absoluta esse non potest, quia nequit intelligi sine ordine ad aliud, si vero est entitas relativa, redeunt argumenta jam facta, quod substantia animae cum sit entitas absoluta erit prior ea, & non poterit intrinsece, & substantialem constitui per ipsam. Respondet Cajet. esse entitatem absolutam, quia licet aliud respiciat, non tamen respicit, tanquam terminum, sed tanquam subiectum, & receptivum, unde hoc non impedit, quin anima sit entitas absoluta, quia licet respiciat corpus, non tamen illud respicit, ut terminum, sed ut subiectum, & receptivum. Contra, haec doctrina impugnata est disput. 8. log. qu. 1. dum reiciebam distinctionem positam a Thomistis inter relationem praedicamentalem, & transcendentalem, parum enim refert, quod hoc respiciatur ab alio sub hac, vel illa ratione, id enim non excludit, quin proprie sit terminus talis respicientis, sed solum facit, quod sit terminus ejus sub hac ratione, quamvis ergo anima per talem commensurationem referatur ad corpus, ut ad subiectum, vel receptivum, id non impedit, quin etiam referatur ad ipsum, ut ad terminum talis dependentiae, & inclinationis, nec minus recipiendi animam excludit a corpore minus terminandi talem receptibilitatem, ergo haec commensuratio vera erit relatio, ac entitas relativa, tum quia aliquo paratione negare possemus creationem esse relationem dependentiae creaturae ad Deum, nam dici posset creatura ad Deum referri per creationem, tanquam ad primum efficiens, non tanquam ad terminum, quod ut patet est ludere verbis. Quare ceteri Thomistae, ut Bannes artic. 9. cit. & alii relinquendo Cajetanicas ambages, utro fatentur talem commensurationem, & coaptationem substantialem esse relationem, non quidem praedicamentalem, sed transcendentalem, & ideò dici substantialem, quia non est accidens de genere relationis, sed intrinseca, & essentialis substantia, nullum autem est inconveniens, inquit Bannes, quod talis respectus sit intrinsecus, & essentialis absolutus, immò per hoc distinguitur a relatione praedicamentali, quae rebus accidit. Sed haec quoque doctrina loc. cit. disp. 8. log. qu. 2. fuse rejicitur, quamvis enim verum utique sit, relationem transcendentalem realiter, ac entitative cum absoluto identificari, & per hoc ad praedicamentali differre, saltem tamen est posse identificari formaliter, & essentialiter, quia tunc idem secundum suam essentiam, & ex principis ejus intrinsecis esset ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud, quae est manifesta implicatio, ut ibi deductum est. Tum quia etiam relatio transcendentalis quamvis sit realiter identificata cum re absoluta, adhuc intelligitur posterior ea, ut potè, quae fundatur, & radicatur in ipsa, eo modo, quo passio licet sit identificata cum suo subiecto, adhuc tamen censetur esse posterior eo, quia in ipso radicatur, & ab ipso dimanat; & ratio est, quia absolutum esse pro relationem transcendentalem sibi identificatam referatur ad aliud, tamen semper prius intelligitur esse ad se, quam ad aliud; ergo per distinctionem allatam de commensuratione, vel coaptatione accidentalit, & substantialem animae ad corpus non solvuntur argumenta Doctoris, quia etiam concludunt decoaptatione substantialem, & realiter cum anima identificata.

Ex hoc recitatur etiam solutio Cajetani ad ultimam Scoti impugnationem, quando enim assumit Doctor illam majorem, quod convenit uni, & alteri repugnat, non loquitur de eo, quod illis convenit per modum differentiae primò constitutis,

sed de eo, quod convenit per modum passionis consequentis, loquitur enim de aptitudinibus, quae res ipsas consequuntur, ut proprie passiones, ut constat ex ipso argumento, unde instantia, quam asserit Cajetanus de differentis specificis, scilicet rationali, & irrationali, & de individualibus respectu hujus, & illius individui, non est ad rem, quia haec non sunt aptitudines ad essentia priori dimanantes, sed sunt ipsae differentiae, & principia constitutiva in esse specifico, vel individuali. Quod si illam majorem reputat Cajet. absolutè falsam, miror, cur postea addeat libenter eam accepit ut veram, eodem lib. de ente, & essentia cap. 2. quaest. 4. & per eam adeo alacriter impugnavit, quod haecitates ultimae nequeant esse principia omnino prima individuationis, quia haecitas Sortis ita convenit Sorti, ut repugnat Platoni, quicquid autem convenit uni individui, & repugnat alteri ejusdem speciei, supponit illorum distinctionem; nisi forte velit eandem propositionem in ore suo esse veram, & in ore Scotti falsam.

Distinguitur objectiones Thomistarum.

120 In oppositum adducit Cajet. p. 1. quaest. 29. art. 1. primum, & praecipuum Thomistarum fundamentum, quod est tale, accidens dependet a substantia in esse, ergo a substantia quoque individuatur, a quo enim res habet esse, ab ea quoque habet individuationem. Conf. a quo res habet entitatem, habet & unitatem, sed accidens habet suam entitatem a subiecto, quia est ens ex 7. Met. ergo, & unitatem, & qualis erit unitas in subiecto, talis erit unitas in accidente.

Reponit Doctor 4. d. 12. quaest. 1. lit. G. assumptum esse verum extrinsece tantum, in genere, scilicet causae efficientis, & materialis subjectivae, non vero intrinsece in genere causae formalis; hic autem, ut saepe dictum est, non queritur quodcumque principium individuationis, & quomodocumque; nam physice loquendo quot funt causae res, totidem poni possunt principia physica individuationis ejus, sed quodammodo metaphysice, quod scilicet intrinsece, & formaliter distinctivum esse tale, scilicet incommunicabile pluribus; ex hoc vero, quod accidens ita dependet a subiecto, minime sequitur, ut debeat individuari per illud, vel per ordinem ad illud, quia stante unitate in causa efficiente, ac etiam materiali extrinseca, potest esse pluralitas in effectibus, nam ab eodem efficiente prodire possunt plures effectus numero distincti, & in eodem subiecto inveniuntur plura accidentia saltem specie distincta; at si argumentum concluderet aequè probaret repugnare in eodem subiecto plura accidentia numero perinde, ac specie distincta, à quo enim res habet esse, ab eodem habet unitatem tam individualem, quam specificam, & sic argumentum probaret, accidens nedum individuari, sed etiam specificari a subiecto, nec potè esse in eodem subiecto plura accidentia specie distincta; deinde quando etiam argumentum aliquo pacto concluderet de formis materialibus nequaquam tamen concludit de anima rationali, quia haec non habet talem dependentiam a subiecto, cum non educatur de potentia materiae. Ad Conf. respondetur eodem modo, & quod non minus probat accidentia habere suam unitatem, & distinctionem specificam a subiectis, quam numericam; & plane si Thomistae concedunt accidentia esse seipsis habere suam distinctionem, ac unitatem specificam, vel per aliquam formalitatem ipsi identificatam non autem a subiecto, non video cur id posse negent de unitate, & distinctione numerica; cum utrobique eadem curat paritas.

Quod si dicant id concedere de unitate, ac distinctione specifica, non vero numerica, quia de facto plura accidentia specie distincta reperiuntur in eodem subiecto, non autem plura numero distincta. Haec non est sufficiens disparitas, quia fallum est in eodem subiecto non reperiiri plura accidentia numero distincta, nam multo sunt plures intentionales solo numero differentes in eodem oculo, plures patentes in eodem patre plures filios habente, ut habet Doctor 3. d. 8. qu. 1. quod si quaedam plura numero repugnant in eodem subiecto, hoc non est quia individuatur a subiecto, sed quia vel educuntur a subiecto per motum, ut innuit Doctor 5. Met. qu. 7. §. ad quaestione ergo, vel quia ad idem omnino minus sunt destinata, vel alia de causa inferior explicanda disput. 12. in proprio quaestio, tum quia esse hujusmodi accidentia nequeant esse simul in eodem subiecto, possunt tamen esse successively, quod sufficit, ne dicantur per subiectum individuari, ut supra probatum est.

121 Secundo urget Jo. de S. Th. cit. aliquid praecipuum Thomistarum fundamentum, nulla forma receptibilis est de se individua, & singularis, nisi per ordinem ad subiectum recipiens, ergo individuatur per subiectum; probatur assumptum, quia omnis forma est communicabilis, nisi per subiectum detineatur, & limitetur, atque irreceptibilis reddatur in alio subiecto, ergo non est individua, & singularis, nisi per ordinem ad subiectum.

Respondet hoc quoque fundamentum infirmum esse, ut constat ex dictis supra quaest. 6. art. 3. num. 70. ubi ostendit incommunicabilitatem propriam individui non esse irreceptibilitatem in alio per modum formae in subiecto, nam materia secundum suam essentiam considerata est sic irreceptibilis, nec tamen est individua, & accidentia eucharistica sunt individua, & tamen sunt receptibilia, sed incommunicabilia individui est illa, quae excludit communicabilitatem universalem, quod est commune pluribus

ribus inferioribus, & ideò, dicitur incommunicabile, ut quod, etiam mixta praeterellet incommunicabile, ut quo, & sicut forma subiecto, ut contingit de individuis accidentium. Tum, quia ut supra arguimus num. 113, si accidentia individuantur per ordinem ad subiectum, quatenus per ipsum limitantur, & redduntur irreceptibilia in alio subiecto, tunc deberent individuari per ordinem, & receptionem actualem in subiecto, non autem aptitudinalem ratiōis, quia accidens accipit esse irreceptibile in alio subiecto, quando actu recipitur in ipso, nam antecessenter ad actualem receptionem semper habet esse receptibile, non autem irreceptibile, unde accidentia eucharistica extra subiectum dicuntur receptibilia, non irreceptibilia, quia igitur subiectum non praebet accidenti incommunicabilitatem oppositam communicabilitati universalis, sed sola ejus individualis differentia, nequit accidens individuari per ordinem ad ipsum.

122 Tertio arguit Blafius a Concept. loc. citat. distinctio individualis, & numerica est materialis, & non formalis; ergo debet in accidente peti, tamquam a prima radice ab eo, quod ipsum materializat; ergo cum subiectum accidentis materializat ipsum, reddatque illud incommunicabile per modum formae, vel actus, cuiusmodi alteri subiecto, debet ab eo peti radix individuationis ipsius. Conf. quia omnis adus limitatur formaliter in ratione adu, vel formae accidentali correspondens fit subiectum, in quo recipitur, illud unde accidens limitatur, & restringitur in ratione actus, & formae erit subiectum, in quo recipitur, & consequenter erit id, unde petetur radix individuationis accidentis. Demum vel radix individuationis debet in accidente desumi ab ipsa forma accidentali, vel a subiecto, in quo sustentatur, non primum; ergo secundum; probatur minor, quia de ratione individui, & singularis est, quod nec fit in subiecto, nec de subiecto alioquò praedicatur, at ista ratio non potest peti ab ipsa forma accidentali, quia forma accidentalis, quantum ex se, peti esse in subiecto, & de eo praedicari; ergo debet talis ratio peti, tamquam a prima radice ab ejus subiecto, per quod accidens redditur incommunicabile cuiusmodi alteri subiecto, tum in essendo, tum in praedicando.

Resp. sepius dictum esse, quod distinctio individualis, & numerica dicitur materialis, & non formalis; ut esse materiale distinguitur contra esse quidditativum, quod dicitur formale a forma totius, ut monet Doctor 2. d. 3. quaest. 6. H. & hoc esse materiale sumitur a materia totius, quae est differentia individualis, non autem a materia partit, vel subiecto; & quod ita materializat accidens non est subiectum, sed individualis, ejus differentia, & concessio quod subiectum reddat accidens incommunicabile alteri per modum formae, vel actus, negatur hinc sequi, quod sit radix individuationis ejus, quia hoc non est esse incommunicabile, quod est proprium individui, ut sic, non enim de ratione individui, ut sic, est quod sit incommunicabile, ut quo, & per modum formae, vel actus, sed ut quod, per modum superioris cedente cum prima consequentia, negatur altera consequentia eo eandem rationem, quia non est de ratione individui, quod sit incommunicabile, ut quo, & per modum formae, vel actus, sed ut quod, & per modum universalis inferioribus suis. Ad ultimum negatur minor, nam etiam in accidente individuationis debet ab ultima realitate ejusdem formae accidentalis; cum autem probatur, quod debeat a subiecto desumi, & non a forma, quia de ratione individui est, quod nec fit in subiecto, nec de subiecto dicitur, respondeo id esse verum de subiecto praedicationis, quia singulare non habet inferius, de quo praedicari possit per modum superioris praedicationis dicente, hoc est hoc; non autem est verum de subiecto inhaerentis, quia non est de eustratione, quod sit incommunicabile, ut quo, unde etiam per subiectum forma reddatur incommunicabilis, ut quo, quia tamen per incommunicabilitatem propria individui, sed tantum per propriam differentiam individualitatem; ideò haec praesens est radix individuationis ejus, vel ipsa formalis individuationis; non vero subiectum, aut ordo ad illud.

123 Quarto arguit Pasqualis. pro accidentibus modalibus, & respectivis, nam hujusmodi accidentia non habent aliquid esse proprium contradistinctum ab esse subiecti; ergo nec habent propriam individuationem aliam ab individuatione subiecti; consequentia patet, quia ideò nos ponimus accidens propriam habere individuationem, quia propria habet entitatem aliam ab entitate subiecti probatur assumptum, quia si hujusmodi accidentia propria habent entitatem, jam dicerentur res, & non modi, neque ex sua ratione peterent non esse necessario affixa rebus quas modificant, haec autem indigentia ex eo oritur, quod non habent propriam entitatem. Deinde arguit Averl. pro accidentibus inseparabilibus, quia propria passio ita est cum hoc subiecto connexa, ut nequeat alteri inesse; & potentia voluntas ita se habent, ut hic numero in intellectu, haec numero voluntas, non nisi huiusmodi possint inesse, & huiusmodi non alius intellectus, aliae voluntates possint inesse.

Resp. ex dictis supra num. 116. negando hujusmodi accidentia non habere propriam entitatem, imò & existentiam aliam ab entitate subiecti, dicunt enim aliam entitatem ita distinctam ab entitate subiecti, quod modificant, ut quamvis ipsa sine tali sub-

jecto consistere nequeant ob imperfectionem propriae entitatis, tamen subiectum potest existere sine ipsis, quod est signum sufficientis ad asserendum entitatem modo esse aliam re ipsa ab entitate subiecti modificata, nam si non esset, nisi praesens entitas ipsa subiecti, tunc implicaret subiectum esse sine tali entitate, sicut implicat esse sine entitate sua propria; neque inseparabilitas unius ab alio sufficientes signum est arguendam identitatem realem inter aliquo duo, quod sit eadem entitas physica amorum, ut dictum est disp. 6. Met. q. 8. art. 2. nam talis inseparabilitas, & necessaria connexio unius cum alio ex aliis capitibus prodire potest, & praetertim in proposito provenit ex imperfectione modi, quicum sit entitas relativa, non potest existere sine adminiculo fundamenti; ideò autem modus, quamvis propriam habeat entitatem aliam ab entitate subiecti, non dicitur res, sed praesens modus, quia per rem intelligimus, quae se sola consistere potest absque necessaria connexione cum alio, in quo sensu accidens modale utique res dici non potest, at si res accipitur in ampliori significato pro eo, scilicet quod propriam habeat entitatem, live se solo consistere possit, live non; etiam modus potest dici res, ut monet Doctor loc. supra cit. 2. d. 1. q. 5. §. quod si adhibe. Ad argumentum Averl. concedo totum desiderium, quia ut constat ex dictis num. 117. talis inseparabilitas provenit ex identitate reali passionis cum subiecto, & potentiarum cum anima; quae haec de causa non possunt in rigore dici accidentia, ut notat Doctor 2. d. 16. q. 1. quia accidens non identificatur realiter cum substantia, sed dicitur accidentia accipiendo accidens pro extraneo, quatenus nec potentiae sunt praedicata quidditativa animae, sed ejus innatae facultates, nec passio respectu subiecti.

124 Ultimo arguit Cajet. probans, animam intellectivam quae individuatur per ordinem ad corpus; sicut de essentia animae humanae in communi est, quod sit proportionata corpori physico organico, quod ponitur in ejus definitione, ita haec anima est perfectiva, & proportionata ita huic corpori, quod non illi, & sicut commensuratio ad corpus humanum non sequitur animam jam humanam, sed facit ipsam animam esse humanam, & constituit illam in esse humano, ita substantialis commensuratio anima ad hoc corpus non sequitur essentiam huius animae, sed constituit illam animam haec, probatur antecedens, quod scilicet anima humana constituitur in esse per illam compositionem ad corpus humanum, quia per hanc primò distinguitur ab anima bovina, quia illa est actus corporis bovini, haec autem est actus corporis humani.

Resp. negando antecedens in sensu accepto a Cajet. quia, ut notat Scot. 4. d. 12. q. 1. lit. L. particula adhibe, ut ponitur in definitione anima non accipitur neque pro relatione actuali, neque per ordinem ad corpus, sed per ordinem ad corpus, quatenus scilicet anima est principium exitivum talis proportionis, & commensurationis ad corpus, unde anima est actus corporis formaliter solum in secundo modo dicendi per se, exigitive vero, & radicaliter in primo; & sic etiam respondeatur ab probationem antecedentis, quod anima humana primò distinguitur a bovino per hoc, quod haec est actus corporis bovini, & illa humani, accipiendo actum fundamentalem non formaliter, sed enim distinguuntur per actum committentem tantum, & a posteriori, veluti per proprias passiones, atque ideò negatur consequentia inde deducta, vel in eodem sensu concluditur, quod haec & illa anima humana distinguuntur per commensurationem ad hoc, & illa anima humana distinguuntur, & concomitantur, veluti per proprias passiones, ita talis commensuratio formaliter sumatur pro ordine, & respectu transcendentali ad corpus; primò vero, & per se distinguuntur propriis haecitatibus. Deinde adhuc dato, & non concessio antecedente, non bene consequentia deducitur, imò potius oppositum, nam si talis ordo commensurationis ad corpus est de essentia animae, ut sic, & convenit animae ex vi suae essentiae; ergo nequit poni formale principium individuationis, quia individuationis ex natura sua est extra rationem essentiae in quacunque re creata; & haec ratio universaliter probat de omni forma, quod nequeat individuari per ordinem ad subiectum, si talis ordo de ejus essentia ponitur, tum quia adhuc querendum manet de tali ordine per quid fiat hic, cum sit de essentia formae, ut sic. Vide disp. 5. de Gen. q. 5. art. 2. n. 19. ubi dico afferere animam petere informare tale corpus, scilicet gibbum, vel rectum aliud non esse, ut ait Hurtad. quam confiteri vult animas alias gibbas, alias simias, alias oclites, ubi etiam solvo communi objectionem, quod pigmei a pigmeis, & nigri a nigris nascuntur.

QUAESTIO IX.

Quodnam re vera sit principium individuationis, et quomodo sit in creatis.

125 Doctor 2. d. 3. examinatis, & reiectis aliorum opinionionibus per quae quae quae de principio individuationis rerum in creatis, tandem q. 6. exactissime suam aperit sententiam, & dicit in corpore quaestio, quod natura contrahibilis ad individuum individuatur per aliquid reale positivum sui generis sibi additum aliquo modo, & illud reale positivum, seu realitas positiva addita naturae dicitur individualis differentia contrahens naturam ad esse haec, & dans formaliter individuo esse indivisibile in hoc, de quibus praedicatur praedicatione dicente hoc est hoc; & pugnan-